



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Lvdovico XIII. Francorvm Et Navarrorvm Regi Christianissimo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)



LVDOVICO XIII.  
FRANCORVM ET  
NAVARRORVM REGI  
CHRISTIANISSIMO.

**E**LOQVENTIAM tibi REX CHRISTIANISSIME  
apparatissimis Græcorum Latinorumque mundi-  
tius excultam, ad sacrarium tuæ Majestatis sisto,  
Reginam *Flexanimam* REGI potentissimo; prædi-  
cationem beneficii DOMINO munificentissimo;  
PARENTI verò optimo æternum observantiæ  
monumentum.

Si spectatur operis argumentum, satis habet commendationis:  
si ratio offerendi, multum habet officiosæ necessitatis. Conceptum  
est enim in ipsis Flexiensis Academiæ spatijs, in proprio tui PA-  
RENTIS FELICIS solo, & Regiæ illius pueritiæ cunabulis, ubi elo-  
quentiam per annos aliquot sum professus: Nunc autem, emergit  
Lutetiæ in tuorum arce regnorum, in quam urbem, ad eadem rei  
literariæ curricula, iam quasi *διαλοδρόμῳ* euocor. Inchoatus est, ut  
vides, hic liber in tuo, de tuo crevit, nascitur in tuo: ubique occur-  
rit tibi, nec minus Maiestatem tuam latere potest quam solem.

Verùm & si me verecundiæ leges, aut occultari iuberent, aut si-  
lere: Tamen faciliùs in ore stammam opprimi posse crederem, quàm  
in grato animo recordationem beneficii. Tua sunt REX OPTIME  
in hanc Societatem promerita, ut infantes etiam facere possint  
Oratores. Tu enim perinde ac si hæreditarium illud munus habe-  
res ab angustiissimo PARENTE tuo, ut nos diligeres, statim regali  
animo hanc Societatem complexus es, ut idem penè tibi videatur  
fuisse exordium nascendi, quod fuit principium de nobis benè  
merendi.

Nunc verò & postquam illud nostrum Parisiense Collegium,

tot annis iam quasi virgultis interclusum, & derelictum, ad quod frustra tot bonorum vota adhærescebant, repente aperiri iussisti, eodem profectò tempore huic orbi Christiano declarasti, quid summa benevolentia in summa auctoritate posset. De nobis verò sapientissimi illius tui consistorij ea fuere iudicia, quæ venerari magis licet, tanquam leges perpetui in publicum officii nobis impositas, quàm intemperantiùs prædicare.

Quid mirum igitur Ò REX, si tibi nostrorum omnium voluntates & opera liberiùs affluunt, & velut in ipsum fontem gratissimè refunduntur, cum tu nos ista amoris testificatione iam tuos nexu & mancipio feceris: Tu certè quidquid est hoc operæ non aspernabere. Nam & tua Maiestas ex hoc fastigio se ad nostram tenuitatem benignis oculis spectandam plerumque demittit, & quod à sapientibus dictum audio, quasi *magnitudinis seruitutem existimet non posse fieri minorem*, versatur cum minoribus summa affabilitate sermonis; quorum ego minimus has hodie lucubrationes sub tui nominis luce profero, nec meæ iam me pudet tenuitatis. Auiculas si quidem aiunt, cum nihil possent opulentius, plumas ad magnificentissimum Delphici Apollinis templum, sicut & apes ceras vltro detulisse: sic & nos ad hæc tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alii partim tibi dedicârunt, partim etiam dedicaturi sunt, hanc oppellam nostram adiungimus. Poterunt illi magnificentius, nos certè nihil possumus amantiùs.

*Maiestati tuæ Deuotissimus*

*Nicolaus Causinus Sacerdos  
è Societate IESV.*

LECTO-